

num, cum nullum non moveat lapidem, ut ex *Canonica Scriptura* probet S.S. esse Deum, omnesque personas esse opuscula, sed tamen testimonium non adducit, cum locum hunc alias semel adducat. Resp. 1. cur provocant hac in re ad Patrum suffragia, de quibus alias parum bonorifice sentiunt? Certo constat, scribit Schmaltz. contra i. Disp. D. Frantz. p. 2. Potissimum Patrum partem Antichristiano quodam spiritu fuisse multis in rebus astam. 2. unus testis loquens pluris faciendus quam mille muti. Sufficit nobis, a quibusdam hunc locum adduci, tanquam *Canonicæ Scripturæ* partem. 3. Quod quidam hunc locum vel citantes vel explicantes nullam mentionem faciunt testimoniū in cœlo, ex eo non nisi probabiliter duntaxat infertur, eos in Codicibus Græcis vel Latinis, quibus tisi sunt, hunc locum non habuisse: sed nulla veritatis specie ex eo colligi potest, quod sit supposititus, quia in illorum Codicibus defuit, vel liberariorum negligentia omissus, vel Arianorum malitia erasus. 4. Non omnia Scripturæ dicta ad probationem quæstionis spectantia cuilibet quovis tempore occurrunt, neque tamen ex præteritione illa colligi potest, quod reliqua tanquam supposititia ab ipso repudietur. 5. In allegan-  
dis Scripturæ textibus quandoque intermedium prisci, tum recentiores Scriptores omittunt, maxime si ea ad institutum non arbitrentur esse necessaria. 6. Similis plane locus Joh. 10. v. 30. extat, qui a veteribus ad convincendam Arianorum hæresin urgetut. Quia vero animadver-  
tebant unam & eandem ad utrumque esse hæreticorum exceptionem, quod sc. de consensu, non de essentiæ uniitate, utrobius sermo sit, ideo unius duntaxat allegatione quandoque contenti fuere. 7. Quidam Interpretes non solum tres in cœlo testes, sed etiam testes in terra prætermittunt, ut apparet ex Didymo Alexandrinō in e-  
narratione hujus Epistolæ, quæ extat tom. 9. Bibliothecæ Patrum p. 547. Quidam explicationem Epistolæ non per-  
duxerunt ad eum usque locum, ut patet ex Augustini  
com-